Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



303

Fratres: Videte itaque quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes: sed ut sapientes redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes sed intelligentes quae sit voluntas dei. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria: sed impleamini spiritu sancto loquentes vobis metipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritalibus cantantes et psallentes in cordibus vestris domino gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri iesu xpi deo patri subiecti invicem in timore xpi.

Illo tempore: Loquebatur iesus iterum in parabolis dicens: Simile factum est regnum celorum homini regi qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias: et nolebant venire. Iterum misit alios servos suos dicens: Dicite invitatis ecce prandium meum paravi: tauri mei et altilia mea occisa sunt: et omnia parata sunt: venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt et abierunt alius in villam suam alius vero ad negotiationem suam. Reliqui vero tenuerunt servos eius et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset iratus est: et missis exercitibus suis perdidit omnes homicidas illos: et civitatem illorum incendit. Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem parate sunt: sed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum: et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias. Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes quos invenerunt malos et bonos: et impletae sunt nuptiae discumbentium. Intravit autem rex ut videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali: et ait illi: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At